



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia III. De Natanaële.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](#)



CONTROVERSIA III.

DE

Nathanaële.

Nathanaël, regione pariter & religione Judæus admodum sincerus, adeo intemerata vita exxit, ut ab ipso Salvatore nostro miro meruerit condecorari encomio, quem JESUS videns venientem ad se dixit de eo. *Ecce verus Israëlitæ in quo dolus non est.* Joan. cap. 1. Ipse verò vicissim de Christo insigne perhibuit testimoniū dicens. *Rabbi Tu es Filius Dei, Tu es Rex Israël.* Joan. ibidem. Interfuit quoque Nathanaël pīscationi Joan. cap. ultimo, quando jussu Christi, à mortuis resuscitati, Apostoli mittentes rete suum in mare, eo integrō remanente, attraxerunt ingentem pīscium multitudinem, centum scilicet quinquaginta tres, & ad prandendum cum cæteris à Domino invitatus datum sibi panem & pīscem similiiter cum cæteris Sociis Apostolis discumbens comedit. De hoc Nathanaële inter eruditos, hoc porissimum ævo, disceptatur, an fuerit à Christo inter duodecim Apostolos connumeratus.

Affirmant Rupertus Abbas Tuitiensis, Alphonsus Salmeron, Arias Montanus, est multi alii teste Card. Bellarmino *Lib. de Rom. Pontif.* qui censem Nathanaëlem Israëlitam esse eundem illum, qui alias ab Evangelio

stis Matthæo, Marco & Luçā sexto loco inter Apostolos numeratur, Bartholomæus nomine. Horum Authorum sententiam eruditissimus Guilielmus Estius in suis *Annotationibus* sequitur, dicisque valde probabilem, & plus quam verisimilem. Fulcitur eadē his rationibus.

I. Quemadmodum in recensendo duodecim Apostolorum Catalogo apud tres priores memoratos Evangelistas Petro copulatur Andreas frater, & Joanni fratri suo sociatur itidem Jacobus Zebedæi filii : ita Bartholomæus constanter Philippo (hi fratres à Nicolao Lyrano dicuntur) inibi conjungitur, quique apud Joannem citato capite primo in accessu ad Christum pariter conjuncti leguntur. Observandum venit quoque quod Johannes nusquam meminerit Bartholomæi reliqui Evangeliste nusquam meminerint Nathanaëlis. Quo simul animadvertisunt Sacram Litterarum interpretes, quod illæ de omnibus Apostolis, quos Christus eligere dignatus fuit, aliquid tradant factum vel dictum, aut saltē peculiare quid referant, quod ipsi gesserint, dixerint, vel illorum sit character. Sic de Petro, Andrea, Jacobo, Joanne varia habentur. Item de Thoma, Philippo, Juda Thaddæo, Juda Iscariote, Mat-

Matthæo , nec non de Jacobo majore in actis Apostolorum , &c. de Jacobo minore , quod vocazione altero esset posterior , Authore prima Epistola Canonicæ , ut plurimum , saltem veterum & recentiorum est opinio , & qui primus post Petrum in Concilio Hierosolymitano tanquam Loci Episcopus locutus fuit . Act. 15. denique de Simone Cananæo , qui vocatur Zelotes ab insigni fervore , quem in sui Apostolatus officio exhibuit . Ne itaque de Bartholomæo tantum Sacra Scriptura siluisse videatur , ejusque acta pertransiisse ; suadet ratio eundem fuisse Nathanaëlem , quem Joannes loc. supra citato perhibet fuisse de Cana Galilææ : ut vel inde intelligi posset , se de eodem loqui , de quo scripserat initio sui Evangelii . Illud quoque non minimum hoc facere censeri debet , quod nil in Kalendario , Martyrologio , aut Breviario aut apud ullum antiquum hagiographum de Nathanaëlis vita gestis vel morte reperiatur : eum tamen citra dubium vir Sanctus fuerit & Christo Domino gratus , cuius utique memoria in benedictione speciali die Festo in Ecclesia Catholica , ad instar aliorum Sanctorum , quorum Scriptura meminit , celebraretur ; nisi Festum illud die vigesima Augusti , aut Romæ postridie celebrari dicatur . Posterioribus quidem saeculis de Nathanaële , quibusdam in mentem venit , quod is alio nomine fuerit vocatus Ursinus , qui ab Apostolis fuerit Episcopus Bituricensis constitutus , & post completum prædicationis officium ibidem in pace quieverit , ac die nonâ Novembbris colatur . Sie quondam cultus fuit Ursinus in Sacro Ordine nostro vigore eiusdem Decreti in Capitulo Generali anno 1513. quod sic habet . *Adscribatur in Martyrologio sic in Loco suo. Bituricis depositio Beatisimi Ursini Episcopi & Confessoris , quem Sacra Evangeliorum Historia commemorans. Nathanaëlem cognominat.* Hanc laciniam Thesmophoræ illi sacerdoti fuerunt ab Authore parum probatae fidèi : mirumque

quod insertam voluerint Martyrologio Ursardi usitato , præsertim cum in eo , sicut & in Romano legatur , quod Ursinus Romæ ordinatus à Successoribus Apostolorum primus urbi Bituricensi fuerit destinatus Episcopus . De eo pariter Beda , Ado , Petrus Cluniacensis &c. Quod autem Petrus de Narabibus scribit , à plerisque confundi Ursinum Episcopum cum Nathanaële , probari nequit : quoniam ipse etiam illud falsum esse reputet , qui alias falsas plerumque fabulas adoptare consuevit . Certum est nullo antiquitatis prælucente suffragio unum eundemque constitui Ursinum & Nathanaëlem Nec verò proximiùs est , quod idem Petrus refert , quasi Nathanaël fuerit unus ex septuaginta duobus Christi discipulis : Quia hi multò post vocati sunt Luc. 10. scilicet . Post hec designavit Dominus , & alios septuaginta duos discipulos . Nathanaël autem ab initio prædicationis Christi ab eodem cum Philippo vocatus fuit , cum Christo-deinceps mansurus , ut colligitur ex verbis . Videbitis cœlum apertum & Angelos &c.

II. Ex Evangelista Joanne constat , quod Christus Dominus à mortuis resurgens primis diebus non aliis apparuerit , quam Apostolis . Cum igitur ab eodem Evangelista Nathanaël numeretur inter illos , quibus Christus ad mare Tyberiadis seipsum jam tertio manifestavit ; rectè colligitur , quod Nathanaël qui & Bartholomæus , tunc Apostolus fuerit . Sic enim Joannes cap. ult. Postea se videndum probuit , rursus Iesus discipulis suis ad mare Tyberiadis . Discipuli verò illi sunt , qui vocabantur Apostoli , veluti primi testes resurrectionis suæ . Certe commendatio illa egregia Nathanaëlis , ad Christum accendentis , pro designatione ad Apostolatum , non incongruè haberi potest . Qui , Christo Magistro suo constanter adhærens , promissionem sibi factam assēcutus , majora miracula vidit . Quorum sicut oculatus fuit testis ; sic persistit Laudator sedulus .

III. Nulla appetat ratio quare in supplendo per Sortem Judæ proditoris loco Nathanaël, ab ipso Christo laudatus, eique adeò familiaris, non recenseatur inter Candidatos; nisi quia is à Christo inter duodecim Apostolos jam fuerat electus sub nomine Bartholomæi. Licet autem diversa sint nomina Nathanaël & Bartholomæus; nihilominus una & eadem persona sint. Siquidem Nathanaël fuit ei nomen proprium: Bartholomæus autem patronymicum, more gentis istius per quam familiariter. Sic *Ioan. 1. Petrus* dicitur Bar-Jonæ. *Act. 1. Joseph Barsabas.* *Act. 4. Iohannes Barnabas.* *Act. 13. Elymas Magus Bar-Jesu.* *Act. 15. Judas Barsabas;* & quisquis sic à Patris nomine vocatur. Ita Nathanaël Bartholomæus, scilicet Filius Tholomæi appellatur. Fortè etiam fuit nomen illud à quadam secta Tholomæorum presumta, quam inter alias illius saeculi sectas non obscuram fuisse variis Scriptores produnt. Ut hac ratione Bartholomæus idem significet, ac filius, aut discipulus Tholomæorum, cui Nathanaël addictus fuerit.

Negativam sententiam amplectuntur Sanctus Augustinus *tract. 7. in Joan.* Baronius & plerique moderni, quos inter est Tillemonius Presbyter Parisiensis celebratissimus *Com. Hist. Eccles. tom. 1. p. 3.* Pro quibus militat.

I. Christus Salvator noster ideo elegit in Apostolos homines simplices & indoctos, ne prædicatio Evangelii ac mundi conversio humanae adscriberentur sapientie. Id quod Apostolus Paulus *1. Cor. 1.* conceptis verbis expressit. *Perdam sapientiam sapientium & sapientiam prudentium reprobabo. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placet Deo per stultitiam prædicationis salvos facere eredentes.* Fuit autem Nathanaël legis peritus, sicut Sanctus Augustinus colligit ex illius ver-

bis. *A Nazareth potest aliquid boni esse* Scribit quippe ex Scriptura Sacra Messiana oriturum non ex Galilea, in qua erat Nazareth: sed ex Bethlehem, quod Castellum erat in Judæa. Sic autem Magister Doctrinæ loc. cit. discurrevit. *Hoc neque Andrea dictum, neque Petro, neque Iohanne, quod dictum est Nathanaeli.* Ecce vere Israëlitæ, in quo dolus non est. Debeat iste primus esse in Apostolatu: & non solum primus non inventur in Apostolis: sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanaël. Quæritur causa? probabiliter invenimus. Intelligere debemus Nathanaëlem eruditum, & peritum legis fuisse, propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere, quia Idiotas elegit, unde confundaret mundum.

II. Nathanaël ex Galilea oriundus erat, teste S. Joanne cap. ultimo. S. Bartholomæus vero fuit natione Syrus & ut communis facta opinio, Regis Syriorum ex fratre nepos; solisque ex omnibus Apostolis nobilitate conspicuus. Unde & propter ipsum solum fert, est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major. Cum enim Christus in cœna Apostolis dixisset, quod unus ex eorum numero ipsum traditurus esset; Apostoli suspiciati sunt, quod proditor ille haec facere vellat, quatenus regnum Israël, quod sperabant Christum carnaliter obtenturum, sibi usurpare cuperet. Et cum nullus inter eos esset, qui ad talē dignitatem aspirare putareret, nisi solus Bartholomæus, propter nobilitatem regiam, ideo habuerunt eum de hac præditione suspectum ac quæstionem de majoritate instituerunt. Hæc Damascenus apud cit. Petrum de Natalibus in Catalogo SS. ubi insuper advertit in aliquibus Ecclesiis ideo Evangelium Legi in Festa S. Bartholomæi de hac contentione. Cum itaque Nathanaël fuerit homo Plebeius & de numero eorum quos:

*Nec census nec clarum novum avorum
Ovid. de Pont.*

Sed

*Sed probitas magnos, ingeniumque
facit.*

Nuliam veri speciem obtinere poterit, quod Nathanaël ille idem, qui Bartholomaeus dictus, fuit.

III. Quodsi Nathanaël fuisset alio etiam nomine appellatus, hujus utique Scriptura Sacra aliquando meminisset, quemadmodum observamus in aliis binomis factum. VG. in S. Matthæo, qui & Levi dictus. In Petro, qui Simon Joannis. In Iuda Simone, Thoma, Saulo, Joseph &c. qui alio etiam vocabulo compellantur. Ast Iohannes, Nathanaëlem initio & in fine sui Evangelii referens, alio nomine appellatum minime indicat. Neque tres priores Evangelistæ, qui Bartholomæi nomen exprimunt, alio nomine unquam nuncupant. Unde patet Nathanaëlem & Bartholomæum duos distinctos viros fuisse, quorum neuter binomimus fuerit. His rationibus, non omnino ineribus, Authores citati fratri suam de Nathanaële opinionem veram esse censem, in quibus tamen illi parum soliditatis deprehendunt, earumque solutionem adferunt.

Ad Primum Respondetur. Cum Iohannes Nathanaëlem Doctoris titulo non decoraverit, quo honore non magis virum præclarum privasset, quam Nicodemum; frustra ab aliis Doctor, aut Legisperitus dicitur. Hoc autem ex verbis Nathanaëlis ab Augustino minus rectè colligi sentit Estius loc. cit. Eo quod Nathanaël hæc non dixerit tanquam in lege peritus: sed quia vulgo cerebatur apud Judæos è Galilæa nullum exsurgere Prophetam; Christum in Bethlehem nasciturum pañim credebant omnes. Unde Joan. cap. 7. quidam dicebant. *Nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit; quia ex Semine David, & de Bethlehem Castello, ubi erat David. Christus venit.* Qui hæc dixerunt non utique fuerunt omnes Legisperiti, ergo inde Nathanaëlis

Legisperitia æquè minus præsumitur. Alias enim & Philippus posset inter Legisperitos numerari, qui illi dicebat. *Quem scriptit Moses in Lege & Prophetæ invenimus JESUM.* Præterea, quæ Nathanaëli cum Philippo homine Plebejo, indocto & simplici familiaritas erat, indicio esse potest huic fuisse similem.

Scilicet ingenii aliqua est concordia junctis

Et servat studiis fædera quisque suis.
Ovid. 2. Pont. 5.

Quin Nathanaël etiam agebat palam Christi discipulum ac sequacem, quod Doctori minimè convenire reputabatur. Atque hinc alii quidam Magistri in Israël clanculo adhærebant Christo. Et quis facilè sibi persuadebit Doctorem Legis tale munus exercuisse quale Nathanaël peregit, qui piscatoribus non solum familiarissimus: sed & nocte cum illis iret piscatum? Non legimus certè Nathanaëlem in Synedriis Christi causa vocatis unquam partes illas egisse: quod de aliis Evangelistæ testantur Doctoribus. Licet etiam Christus non elegerit multos sapientes, fuisset tamen sibi honorificum, si Legisperitum habuisset Judæorum Doctoribus oppositum in numero suorum Apostolorum.


Ad Secundum Respondetur, quod traditio illa de stemmate & Patria Bartholomæi sit veterum Authoritate destituta, adeoque valde incerta. Quare non immerito oggeritur illud Alani Copi. *Dialog. 4. cap. 19. Quod genus istud probationis; rem dubiam & incertam ex re alia magis impedita confirmare velle?* Ejusdem farinæ est, quod ajunt Nathanaëlis apud Treugensem civitatem depositum; cum Sancti Bartholomæi reliquias legamus translatas ab Ottone III. Benevento Romam, ibidemque requiescere. In Breviario Romano Bartholomæus Galilæus legitur, quidquid aliter visum fuerit.

Ad

Ad Tertium Respondetur. Nathanaëlem nunquam sic vocatum , qui Bartholomæus erat; ob hanc scilicet rationem: quod forte Apostoli gentibus prædicaturi Evangelium , ne vel nomina offenderent , vitabant quantum poterant Barbariem nominum , & ea , prout opportunum erat , commutabant in formam & terminationem nominum Græcorum aut Latinorum , aut in alia nomina Græcis Latinisque gratiore & usitata. Nulla autem Græca aut Latina nomina desinunt in El. Sed Græca plerumque in Os Latina in Us. Hoc paecto Silas Silvanus est dictus. Cephas, Petrus, & Saul Saulus, deinde Paulus, gratioso apud Romanos vocabulo, & Levi Matthæus , Jacob Jacobus. Igitur simili ratione Nathanaël magis vulgatè Bartholomæus

dictus videtur. Ita Estius ; ex quo eadem fœneratus fuit quidam Neoteticus in suis Annalibus Politico - Ecclesiasticis. An hac response satisfat argumento , judicet Lector , cui haud erit difficile eandem elidere ; si observet ex Joannis Harduini dissertatione de Cepha à Paulo reprehendo , quod Nathanaël nomen sit Hebraicum vel Syriacum , Græcèque dicatur DEO datus , Latinè à DEO datus. Arbitrium in hac Controversia si deferatur prudenti ; nihil certi statuet ; gnarus illius , quod Cato dixit.

Nihil stultius esse , quam certa pro incertis , falsa , pro veris habere.



CON-